



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij  
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||  
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

**Eck, Johannes**

**1534**

**VD16 E 292**

Dom. XXIII. post pe[n]. Eua[n]. Abeuntes pharisæi. Matth. 22 Homilia una.  
Adiect[us] est tractatus de supremo dominio & seruitute, que[m] alias  
peculiari libello exte[n]di

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35259**

nitos itaq; tam uos dilectissimi omnes uolo, ut dilectione mutua obserueris, remittentes inuicem alter alteri delicta sua propter dñm, & ille uicissim nos, ut fratres ueros que suos filios remunerabit in æterna patria. Id adeo tu præsta **Christe Iesu**, qui cū deo patre in unitate spūs sancti uiuis in æternitate perpetua benedictus, laudabilis & gloriosus in secula, Amen.

## DOMINICA VIGESIMA

QUARTA A FERIIS PENTECOSTES, euangelium **Mat. XXII.**



**Marci. 12.**  
**Luce. 20**

**Actu. 10**

**I**n illo tēpore Abiuntes pharisæi, cōsiliū inierūt ut caperēt Iesum in sermone, & mittūt ei discipulos suos cū Herodianis, dicētes: **Magister**, scimus quia uerax es, & uiam dei in ueritate doces, & non est tibi cura de aliquo. nō em̄ respicis

personā hominū, dic ergo nobis, quid tibi uideatur. licet cēsum dari **Cæsari**, an nō? **Cognita** autē Iesus nequitia eorum, ait: **Quid** me tentatis hypocrite? ostēdite mihi numisma cēsus. **At** illi obtulerūt ei denariū. **Et** ait illis Iesus: **Cuius** est imago hæc & superscriptio? **Dicūt** ei, **Cæsaris**. **Tūc** ait illis: **Reddite** ergo quæ sunt **Cæsaris**, **Cæsari**: quæ sunt dei, deo. **Et** audientes, mirati sunt. & relicto eo, abierunt.

**Roma. 13**

## HOMILIA VNICA.

**N**Vper, inquit Hieronymus, sub Casare Augusto Iudæa subiecta Romanis (quando in toto orbe celebrata est descriptio) stipendiaria facta est: & erat in populo magna seditio, dicentibus alijs pro securitate & quiete, quæ Romani pro omnibus militarent, tributa debere persolvere; pharisæis autem, qui sibi applaudebant de iustitia, contrario dicentibus, non debere populū dei, quæ decimas solveret & primitias daret, & cætera que in lege scripta sunt, faceret, humanis legibus subiacere. Casar Augustus Herodē filium Antipatri regem Iudæis constituerat, qui tributis pesseret, & Romano pareret imperio. Super his miserunt discipulos suos cum Herodianis (namque & Herodes ad festū hoc uenerat Hierosolymā) ad dominū eo consilio, quod parabolas quas dixerat dominus, tam obseruabant in se dictas: neque tamen audebant illi adoriri præ populo, qui ipsum habebat pro propheta, sed nec uerbis quicquam præualebāt aduersus eum, quod undecunq; obuiaret ipsis sapientissime. Inter hæc incidit eis, quod Theodas & Iudas seditionis auctores male tractati essent, dum resisterent potestati Romanorum. cogitabāt in eandē quæ suspitionē adducere Christum, ut illi aduersarentur superiores & oprimates. miserunt ita & Herodianos cum suis ad illū, ut si negaret tributa solui debere Romanis, id ipsum statim Herodiani denunciarent Herodi. Sin autem adfirmaret, sic quoque aduersum se prouocaret plebem. Unde & Lucas ait: **Obs**eruantes miserunt insidiatores, qui se iustos simularent, ut caperent eum in sermone. Sed nos iam ipsum adgrediamur contextum euangelij.

¶ Absentes pharisæi, consiliū interunt ut caperent eum in sermone. Omnis malitia, inquit Chrysostomus, confunditur quædam aliquoties ratione ueritatis, corrigitur autem nunquam, maxime eorum qui proposito malo & non ignorantia peccant. Quod uerbum diligenter tu considera aduersus hæreticos, qui desistere nolunt ab erroribus semel conceptis, etiam confusi rationibus & scripturæ testimonij. ita hic pharisæi non poterāt extorquere à domino, qua tandem potestate faceret illud. ad hæc conscientia quæque urgebat eos super illo, quod dixerat, **Malos male pdes**.

Hieron.

Luc. 11

Luc. 13

Matth. 12

Actu. 5

Luc. 17

Chrysost.

Chrysost.

Isaie. 8

Sicut autem si quis claudere uoluerit aquæ currentis me-  
atum, si exclusa fuerit per aliquam uolentiã, aliunde sibi  
semitã q̄rit, sic Iudæorũ malignitas ex una parte confusa,  
alium sibi aditum adinuenit. **C**onsiliumq̄ inierunt eius-  
modi, de quo propheta dicit: **M**ite cõsiliũ, & dissipabit.  
loquimini uerbum, & nõ fiet. in hoc ipso consilio triplicẽ  
dolum & fraudẽ adsumpserunt: **P**rimo suos miserunt di-  
scipulos, ut magna eẽt ignominia **C**hristo, si ab eis uince-  
retur, uel etiam ut minus eos obseruans, facilius impinge-  
ret in sermone. **D**einde miserunt simul & **H**erodianos, q̄  
ipsum, sicubi quicq̄ aduersus **C**æsarem diceret, accusarẽt,  
**P**ostremo in hoc Iudæos pariter & gentiles miserunt, ut  
si tumultus aliquis cõcitaretur, utriq̄ suarum partium ef-  
fent. Iniquum porro hoc fuisse cõsiliũ, inde colligitur,  
q̄ ad illud ijs utebantur, quos omnium maxime habebant  
exosos, seruis militaribus, stipendiarijs Romanis. Sed q̄  
tandem consilium iniret aduersus dominum, nisi diabo-  
lus cum suis membris: **M**agister, inquit, scimus quia ue-  
rax es, & uiam dei in ueritate doces, & nõ est tibi cura de  
aliquo, non. n. respicis personam hominũ. **B**landa & frau-  
dulenta interrogatio illuc prouocat respõdentem, ut ma-  
gis deum q̄ **C**æsarem timeat. **D**um. n. dicunt, nõ respicis  
personam hominum, **C**æsarem & **H**erodem respiciunt.  
usq̄ adeo fellis & fraudis uerba eorũ plena erant omnia,  
ut ait **D**avid: **O**re suo benedicebant, & corde suo maledi-  
cebant. **M**agistrum uocant, cuius nolunt esse discipuli. ma-  
gistrum uocant, dum decipere cogitant, aliã impostorẽ  
& deceptorem nominant populi, iam dicunt eum uiam  
dei in ueritate docere. aliã clamant eum subuersorem es-  
se gentis, neq̄ esse à deo qui sabbatum nõ seruet. **I**uuenes  
quidem erant, qui mittebantur, sed malicia pares ueteri-  
bus. **E**t sicut serpentes paruuli, licet ætate & magnitudine  
cæteros nõ æquent, uene no tamen inferiores nõ sunt. ita  
hic Iudæi quis ueritatẽ dicebant, nõ tamen sine dolo lau-  
dabant. n. eũ ideo, ut huiusmodi comendatiuncula ipsum  
prouocarent ad dicendum aliquid contra magistratus, q̄  
niam hæc hypocritarum proprietas est, laudãt cui nocere  
uolunt, falsæ laudis catenã in ore circumferunt, & ma-  
litiã gladium celant in pectore, iuxta illud **D**auidicum:

Hierony.

Hierony.  
Psalm. 61.

Johan. 7

Matth. 27

Johan. 9

Chrysof.

Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. & item istud, Pacem loquuntur cum proximo suo, malum autem in cordibus eorum. Recte interim Salomon ait: Meliora sunt uulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odiētis. Sic & dominus per prophetam: Popule meus, inquit, qui te beatum dicunt, seducunt te. Et rursus Salomon admonet prudenter sane, ut omnia: Quando submiserit uocem suā inimicus tuus, ne credideris ei, quoniā septem nequitia sunt in corde illius.

¶ Simul atq; iam ex falso corde dominum uere laudarent, ecce nūc sequitur aculeus. aiunt enim, Dic nobis, qd tibi uidetur: licet censum dari Cæsari an non? quasi dicerent, Parum decet altissimi dei seruos censum dare regi bus terræ. & sicut iniquū fuerit, si rex aliquis alterius sibi comitatum aut familiam adserat, ita multo magis rex terræ non debet deo cæli seruos suos uel abstrahere uel grauare. Et o miram hanc malitiam. nō dicunt, dicas nobis quid bonum sit, quid conducibile, quid legitimum, sed quid tibi uideretur. sic illud solummodo sibi propositum fuit, quomodo præsentī principatui hostem esse ostenderent, ac principi quasi seditiosum traderent. Intellecta autem dominus malitia eorum, dixit: Quid me tentatis hypocritæ? responderat ille hoc uerbo, non secundum blāda eorum uerba, sed ad exasperatam conscientiam. quid multa? uoluntati in hoc respondit, non uerbis. Prima eū hęc uirtus est respondentis, interrogantium mentē cognoscere. Quid, inquit, me tentatis hypocritæ? Verbo illis aperit dominus, quod ipsi sentiebant in cordibus suis, ut sic *καρδια γινώσκου*, hoc ē, cordium cognitorē esse intelligerent, neq; consummare operibus quod ipsi in animo cōceperant. Nam quia magna & aperta utebantur malitia, maius ipse quoq; uulnus intorquet, cōfundens eos, prius hūcum in medium arcana sua producat, omnibusq; patefaciat, qua mente ad eum accedant. Quapropter & hypocritas eos uocat: hypocrita autē est, quisquis aliud ab eo qd est simulat foris, quod iam olim prohibuit Sapiens, Ne sis hypocrita in oculis hominum. sic quislibet homo precari deum debet, ne fucatis & blandis hominum palpationib; decipiat, iuxta illud Psalmi: Consumetur nequitia pec-

Psalm. 54.  
Psalm. 27

Isai. 3

Proue. 26

Chrysof.

Chrysof.

Hierony.

Chrysof.

Hierony.

Eccl. 1

Psalm. 7

**Psalm. 7**  
**Prove. 12**

catorum, tu autem diriges iustū, scrutans corda & renes deus. Vere. n. simulator ore decipit amicum. iusti autem liberabuntur scientia. In summa omnis iste Iudæorum dolus institutus perierat, quando omnium eorū corda & cogitationes cognoscebat dñs, eo ipso testatus uerum se esse deum.

**Psalm. 103**  
**Hierony.**

3. ¶ Adhuc magis confundit eos dominus etiam extero facto, & ait: Ostendite mihi numisma census. Semper sapienter agit sapiētia, ut tentatores suos proprijs uerbis conuincat. Numisma sibi perit exhiberi, quod singuli de capribus suis pendebant Cæsari Romano. Et obtulerunt ei denarium, adhuc ea spe ducti, q̄ locuturus aliquid esset durius aduersus Cæsarem, unde calumniandi raperēt occasionem. quoniam cudere monetas, proprium semper habitum est eorum, qui magistratu funguntur. cumq; Romani omnem haberent potestatem, etiam ius habere monetæ, illiq; imaginem Cæsaris inculpebant, sicut antea Iudæi quoq; monetam habuerant, testantibus idipsum scri

**Moneta.**

ptis Antiochi regis ad summum sacerdotem Simonem, quibus indulsit ei, ut propriā in sua regione cuderet monetam. Cuius, inquit dñs, est hæc inscriptio? Qui putant, ait Hieronymus, interrogationem saluatoris ignorantiam esse, & nō dispensationem, discant ex presenti loco, q̄ utiq; potuit scire, cuius esset imago; sed interrogat, ut ad sermonem eorum competenter respondeat. Cuius est hæc imago? quasi diceret, Vos ius omne monetarium amisistis, penes alium iam est illud, qui & potestatem atque magistratum suprema possidet officia, quod si penes illum potestas & magistratus est, cur nō & census erunt & tributa?

**Mac. 15**

an illi imperatori ethnico tributa deberet. & Paulus quoque idipsum serio decreuit, docens Romanos omnem animam potestati subiectam esse, cui quicūq; se opponit, diuinae ordinationi resistit. ibidem etiā concludit, tributa solui debere, & ait: Reddite omnib⁹ debita, cui tributū, tributū meū uectigal, uectigal: cui timorē, timorē: cui honorē, honorē.

**Hierony.**

4. ¶ Cum iam respondissent Iudæi inscriptionem istā Cæsaris esse, subiunxit dominus, Date ergo quæ Cæsaris

**Roma. 13**

**Hierony.**

sunt **Cæsari**, & quæ dei deo. quasi diceret, Inscriptio hæc arguit **Cæsarem** longe latèque per orbem regere, dominari, militare, contractus uestros tum disponere, tum cõfirmare. decet itaque, ut ideo tributa illi pèdatis & census. Quia autem & ad deum decimæ pertinent atq; primitiæ, illas quoq; ministris eius dare sacerdotibus, ut pro uobis orare possint dominum deum. Id utrunq; **Christus** etiam opere compleuit, quoniam in spiritalibus sedulo studuit implere uoluntatem patris sui cælestis; interimq; & **Cæsari** quod suum erat, tribuit, namq; matrem suam uoluit ascendere in **Nazareth**, cumq; **Iosepho** nomina dare sub **Augusto Cæsare**, pro se ipso quoq; & **Petro** soluit didrachma. nec quicquam inuenias uspiam, quod aduersus magistratum dixisset dominus, quo ad dignitatem & potestatem, atq; ea omnia quæ subditi superioribus suis præstare tenentur.

¶ At tu magnam hic mihi uide sapientiam **Christi**, dum non ad interrogationem tantum responderet **Iudæorum**, sed falsam quoque eorum rationem infringit, qua mouebantur ut **Cæsari** census non soluerent. huiusmodi namque serè eorum erat argumentum: **Iudæi** nos deo & ministris eius decimas damus, primitias, oblationes &c. nihil igitur est quod insuper pendamus **Cæsari**. Id refutans dominus, iubet eos quæ dei sunt dare deo, & simul tamen quæ **Cæsaris** pendere **Cæsari**. quasi diceret, Tantum uobis elargitur deus, ut utrunque illud bene possitis & cum dignitate persoluere. Considera autem danda esse **Cæsari** quæ sua sunt. nam si aduersus æquitatem aliquid cupiant magistratus, aduersus fidem, religionem aut ecclesiæ catholicæ ordinationem, quod nunc **Lutheranorum** faciunt magistratus, hic sane parendum eis nõ est, siquidem qd si dei ac utruti obest, non **Cæsaris**, sed diaboli tributum & uestigal est, ut ait **Chrysostomus**. Ne **christiani** quoque nostrates diffidere uolunt de domino, quasi non possint cultum diuinum sustinere, si multq; pauperes fouere. Sed hæc aliàs, ubi maior sese offeret occasio.

Moralit̃ exponit hoc qdã doctores, & dicit̃ imaginẽ dei nec auro, nec argẽto eẽ insculptã, sed i ipsam hois aĩam.

YY ij

dicet igitur ille, Cuius est hæc imago? Quod si anima imaginem inuenta fuerit habere dei, in conscientia bene pacata & innocenti, mercedem recipiet uitæ æternæ: sin autem imagine dei oblitterata, substituta in eius locum fuerit imago diaboli, uæ homini huiusmodi, quicumq; amiserit imaginem dei, sicut amisit Adam, teste Augustino, cū ait: Si homo seruasset in se imaginē cōditoris, ipsum semper laudaret. De malis in eundem sensum inquit etiā Dauid, Imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Vos itaq; in Christo dilectissimi, studete, curate, & elaborate in hoc unicum, ut summi optimiq; & maximi Cæsaris domini dei imaginem integram, puramq; seruetis, sicq; præmia ab illo suscipiatis æterna, Amen.

Augustin.

Psalm. 72.

De imagine uide plura in sermone super festo sanctæ Trinitatis, parte Tertia.

## DE MAGISTRATI-

BVS SECULARIBVS, HOMILIA SECUNDA Dominicæ XXIII. à ferijs pentecostes.

Reddite quæ Cæsaris sunt, Cæsari: & quæ dei sunt, deo. Matthæi XXII.

**C**VM in hoc euangelio potestas secularis, hominū etiam idololatræ, quicq; deum nō solum non uenerabatur, sed ne nōrat quidē, per dñm Iesum confirmatur: facile patet, quantis errorū labyrinthis sint inuoluti, quantumq; fallantur neochristiani illi, qui potestatis cum secularis tum & ecclesiasticæ sub euangelicæ libertatis prætextu iugū excutere conantur. Veluti non ita dudum in plebe illa rusticana, Lutheranorū sermonibus concitata usuuenit, q̄ non absq; magna suorū clade aduersus principes se cōmouit. Sunt. n. in illa seditione circiter centena millia hominū cæsa, quorū animabus dei miserationē exopto. Et hic quidē nō mediocri mihi stimulus fuit, uobis quasi digito demonstrādi, seculare dominium etiam inter Christianos licitū esse: hincq; nihil libertati, in quā uos Christus asseruit, decedere. Ea enim in spiritu est

Lutheranorum  
seditio.  
Anno dñi  
1525.

Christiana  
libertas.



contra peccatorum seruitutem, ideoq; non derorquenda ad hmanum imperium, quod liquido à Paulo declaratur his uerbis: Vos in libertatem uocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem. In hunc quoq; modū egregie atq; præclare à diuo Petro cōmonemur, ne Christiana libertate abutamur. dicit enim, Quasi liberi, & non quasi uelamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui dei. ibiq; affatim explicat, quomō magistratibus obtemperandū sit, ut paulo post dicemus. Er ut nihil uos lateat, quod ad hanc materiam pertinet, altius paulo repetā, primaq; ab origine deducam mundanum dominatum.

¶ Prima igitur potestas homini data, super originalē. i. iustitiā fundata est, quā is absq; medio à deo accepit omnibus mortalibus cōmunē, per quā omnia se inferiora animantia in dirione tenuit sua, ad usus ac sustentamenta uitæ necessaria. hæc nobis à Moysē in libro Geneseos depingitur, cum deus ad Adam dicit: Crescite & multiplicamini. & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris & uolatilibus cæli, & uniuersis animantibus quæ mouentur super terrā. Hoc est quod principio dixi, Eam potestatem super originalē iustitiā fuisse constitutam, quam homo in paradiso habuit.

¶ Ea autē non ad æquales usq; .i. homines sese extendit. Nam in paradiso neq; rex, neq; princeps, neq; ullum generis discrimen, sed una eademq; omnium futura erat nobilitas. Cuncta animantia homini subdita erant. postq; autē ille labe peccati est contaminatus, confestim ista potestate excidit, serpentes nos ueneno intoxicant, deuorant leones, dilaniāt lupi, canes morsu, tauri cornibus, equi calcibus nos impetunt. Magnōq; nobis labore atq; opera cōstat, certas quasdā beluas cicurare atq; educare, ut uel parum sese ad nostrum adcomodent nutum.

¶ Postea uero quā dominium illud gratuitū unicuiq; mortaliū cōcessum, iam nostra ex culpa amissum fuerat, in quo omnia erāt cōmunia, proprietatē bonorū in mundo consequi necesse erat. Primi itaq; Christi sectatores q̄ proxime ad pristinum innocētis statum uitæ puritate accesserūt. Id quod Lucas testatur in Actibus apostolorum,

- Actus. 4.** cum ait: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Proprietatem uero omnium rerum post lapsum consecutam esse, facile ex hoc elicitur. Ita enim dominus inquit ad Adā.
- Gene. 3.** Maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ. spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Quod si possessiones non essent distributæ, male excolerentur agri. Desides enim pulchre sibi à laboribus cauerent, nihilominus tamen ex frugibus exaturant cupientes. Distractæq; forent uoluntates, dum hic genialiter utuere, ille uero sumptibus parcere cuperet. Opus igitur fuit, ut quisque priuatas habeat opes. hoc est, quod dicitur, meum & tuum ex peccato proueniunt. Nisi enim peccatum esset, abstineretur ab his duabus contentiosis uoculis, meum & tuum: quoniam si peccatum non esset, meum quoq; & tuum non essent.
1. ¶ Cum ergo tempore naturæ lapsæ seu destitute surrexit proprietates bonorum, oportuit etiam dominium institui. aliàs enim quisquis fortior fuisset, bona alterius ui occupasset, nec bonus satis tutus à uolentia malorum esse potuisset, oportuit itaq; institui magistratum, qui rē bonos tueretur, tum iustitiam ipsam defenderet. Et tamē multi uolenter se intruserunt in officia magistratus, sicut Nemroth, quem nonnulli purant fuisse Ninum, q̄ primum regnum tenuit Assyriorum. Alij electione & cōsensu populi eō de uenerunt, dum aliæ prouinciæ alios atq; alios sibi reges deligerent. Atq; hoc est quod Imperator ait, vsu exigente, humanis necessitatibus gentes humanæ iura quædam sibi constituerunt. bella enim orta sunt, & captiuitates secutæ & seruitutes. In Genesi legimus Cain genuisse Enoch qui ciuitatem extruxit, uocauitq; eam iuxta nomen filij sui: simulq; iura utique constituerunt & magistratus, quando etiam latrones in uno nemore sine legibus uiuere nequeunt. Ita deinceps tota plena est scriptura, quomodo à tempore diluuij reges fuerint, Abimelech, Pharaos, & nouem isti, qui inter se bella gerebant, alijsq; innumeri.
- Gene. 12**  
**20, 21, 24**

2. ¶ Inuenimus quoque in sacris literis ipsum dominum regios magistratus instituisse super populum suum. quamuis enim super suam quisque paterfamilias domum dominabatur, liberos quoque & nepotes, sicut de Noe, Abraam & Iacob constat. decursu tamen temporis inualescente hominum multitudine, oportuit institui magistratus. sicque Moyses praefectus est populo de i, quem & eduxit ex Aegypto. huic successit Iosue, illi iudices caeteri usque ad Samuelem, cuius temporibus tandem dominus ad petitionem populi dedit Saulem, eum Samuel unxit in regem, cumque ille iam non ita obediens esset deo, successit ei Dauid. Quid autem ad regem pertineret, iam ante dominus docuerat per Moysen, dicens: Cum dixeris, Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem dominus deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. non poteris alterius gentis regem facere, qui non sit frater tuus. Non multiplicabit autem ille sibi equos, nec reducet populum in Aegyptum, equitatus numero subleuatus. Non habebit uxores plurimas, quae allicient animum eius, neque argenti & auri immensa pondera. Samuel autem non paulo adhuc accuratius iura regis offendit, inquit: filios uestros tollet & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & praecursores quadrigarum suarum, constituet sibi tribunos & centuriones sequitur ibidem de alijs bonis eorum, quibus tamen non ubiuis eum uti licebat, nisi in necessitate regis.

¶ Atque ut tandem ad illud quod praecipuum nostrae huius homiliae est institutum, ueniamus, sustinimus hactenus conclusionem illam: quia necessarium fuit post peccatum institui magistratum, eumque sic uel immediate a deo, ut apud Iudaeos, uel per media hominum esse institutum. unde & Sapiens ait, Per me reges regnant, & legum conditores iusta de cernunt: per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Ita alius Sapiens omnes reges & principes docet, quales se exhibeant in imperio suo. Imo sic reges dominia sua habuerunt a deo, ut etiam Messias uoluerit per regem ethnicum & gentilem praefigurari, iuxta illud prophetae: Haec dicit dominus Christo

YY iij

Exodi. 3

Num. 27

1. Reg. 9

2. 10

1. Reg. 16

Deut. 17

1. Reg. 8

Isai. 45

meo **Cy**ro, cuius adprehendi dexteram, ut subiciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum uertam. & paulo ante, **Qui** dico **Cy**ro, pastor meus es, & omnem uoluntatem meam cōplebis. **Dauid** quoq; qui plenus fuit spiritu sancto, quāuis inique eū persequeretur **Saul**, hic tamen cū semel digressus esset in specū, in qua **Dauid** cū suis iacitabat, rē amputauit illi particulā pallij, nō permisurus occidi eum à socijs suis, quibus dixit: Propicius sit mihi dñs, ne faciam hāc rem domino meo **Christo** domini, ut mitram manum meā in eū, quia **Christus** domini est. Atq; hoc est quod **Salomon** inquit: Sicut diuisiones aquarū sūt, ita cor regis in manu dñi. q̄cunq; uoluerit, inclinabit illud &c.

**Pro**u. 21

3. ¶ Tenentur autē subditi magistratibus suis exhibere fidem, obedientiam, reuerentiam, obsequia, sustentationem temporalem, pro suo cuiusq; statu, & quicquid aliud opus habent ad iustitiæ administrationem. Locus hic in se continet omne quod ad sublimitatē & conseruationē pertinet magistratuum. Ita hęc omnia percurramus, singula ex sacris literis confirmaturi. Et primum quidem omnium obedientiam debet subditus magistratibus suis in omnibus licitis. id adeo **Paulus** testatur, **Omnis**, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit. nō enim est potestas nisi à deo. quæ autem sunt à deo, ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, dei ordinationi resistit. qui autē resistunt, ipsi sibi damnationē acquirunt, principes nāq; non sunt timori boni operis, sed mali. **Vis** autem non timere potestate? bonum fac, & habebis laudem ex illa. dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. non enim sine causa gladium portat, quia dei minister est, uindex in iram ei qui malū agit. ideoq; necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiā propter conscientiam. Locum hunc eo lubentius ad longum recensui, q̄ expresse adeo magistratum dominū testatur, quoniam ex deo est, cui resistit, q̄squis magistratui resistit. **Domine Iesu Christe**, propitius esto miseris illis, q̄ in ea occisi sunt inobedientia, ut diuinæ resisterent ordinationi, quō erroris per suos falsos abducti sunt prædicatores, quibus omnibus id quoq; dimittat deus.

1. **Petri**. 2

¶ Simile ē q̄d ait **Petrus**: Subiecti estote omni hūanæ crea-

turæ, ppter deū, siue q̄ si regi ꝑcellēti, siue ducibus tanq̄ ab eo missis ad uindictā malefactorū, laudē uero bonorū. sic & Paulus inq̄: Serui, obedite dominis carnalibus cū timore & tremore, in simplicitate cordis uestri, sicut Christo, nō ad oculū seruientes, quasi hominibus placentes, sed ut serui Christi, facientes uoluntatem dei ex animo cum bona uoluntate. quæ ad uerbū penē etiā sentētia illius est ad Colossenses. Et, pprie q̄dem diximus in omnibus licitis & honestis obrēperandum esse magistratibus. nā si qd stauerint aduersus deum & fidē, tenent subditi nō obedire illis, iuxta illud Petri: Oporteret deo magis obedire q̄ hominibus. Ita si qd mādarit rex cōtra bonos mores, contra salutē animæ, nō parēdum est ei. Ita Mauricius, Exuperius & alij socij, Impatori Maximiliano mādanti ut idolis sacrificarēt, respōderunt: Milites qdē tui sumus Imperator, sed tamē sui Christi. tibi quidē disciplinā & operam oēm militarē, deo autē debemus obedientiā & innocentiam. Abs te laboris nostri stipēdia recipimus, ab illo autē prima suscepimus exordia uitæ. In hoc re seq̄ nō possumus, ut nostrum abnegemus conditorē. Sic Marathias noluit obedire regi ꝑcipienti aduersus mādata dei. Ita nos Augustinus docet, cum ait: Qui resistit ptāti, dei ordinatiōi resistit. sed qd si illud iubeat, qd nō debes facere? hic sane cōtēne ptātem, ipsos humanarū legum grad⁹ aduerte, si aliquid iusserit curator, faciendum est: tamē si cōtra, ꝑconsul iubeat, non utiq; contemnis potestatem, sed eligis seruire maiori: nec debet minor irasci, si maior prælatus est, rursus si ipse cōsul aliquid iubeat, & aliud iubeat imperator, uel si aliud iubeat imperator, & aliud deus, quid iudicas? Maior potestas deus. da ueniam o Imperator. tu carcerem, ille gehennam minatur. Tota quoque plena undiq; scriptura est, quomodo non parendum sit magistratui ad uersus deum aliquid præcipienti.

Ex hoc quidem loco est adhuc qd admoneā, honorandos esse dominos ultra id qd obediendum est illis: idq; in uniuersum de bonis, malis, imō & infidelibus accipiendū est. Quod eo hic admoneamus, q̄ aduersat hēreticis quibusdā, qui simplices per suadere conātur, neminē in sua dignitate permanere, qui sit in p̄cō mortali cōstiturus, inique

Ephē. 6.

Coloss. 3.

Actus. 5.

1. Mac. 2.

Augustin.

Honor de  
minis de-  
bitus.

2. Reg. 12. sane & turpis, taceo q̄ & inepte nimis. Aut ideo ne statim  
 Nume. 2. Daud, quia adulterio peccauit & homicidio, rex insup nō  
 fuerit? Moyses q̄q; ga peccauit murmurans & diffidens de  
 uerbo domini, ideo ne amiserit potestatem suā super po-  
 pulū dei simile iudiciū de multis alijs regibus est. Sic do-  
 minus p̄cepit Dedechiæ regi & plebi Iudæorū, ut egressi ci-  
 uitatē se dederēt Nabuchodonozori regi Chaldæorū, dū-  
 mō uiuere uelint: quoniam aut in ciuitate permāserint, eos  
 peste, fame & gladio perituros: ex n̄s aut quotquot euade-  
 rent, illos in captiuitatē uenturos Chaldæorū, qui nullam  
 eorū misericordiā habituri essent, sed oēs occisuri. Et de-  
 inde sic ait dominus, Dedi oēs terras istas in manu Nabu-  
 chodonosor regis Babylonis, serui mei. & fuent illi oēs  
 gentes & filio eius, & filio filij eius, donec ueniat tempus  
 terræ eius & ipsius: & seruiet ei gentes multæ & reges  
 magni. Gens aut & regnū quod nō seruiet Nabuchodo-  
 nozor regi Babylonis, & quicumq; nō curauerit collū su-  
 um sub iugo regis Babylonis, in gladio & fame & in peste  
 uistrabo gentē illā, ait domin⁹, donec consumā eos in ma-  
 nu eius. Et gentilis autē & idololatra fuit iste Nabucho-  
 donozor, sicut ex statua illius quā in campo Duran erex-  
 rat adorandā, facile colligit. Ita & Godolias dixit Ieremię  
 Ierem. 40. cōhabitās, cum iā bona Iudæorū pars abducta esset in ca-  
 ptiuitatē Babylonicā: Nolite timere fūire Chaldæis, habi-  
 rate in terra & seruite regi Babylonis, & bene erit uobis.  
 ¶ Idem uero non minus manifeste in nouo quoq; ap-  
 paret testamento. Maria namq; gentili paruit Cæsari Au-  
 gustus in descriptione orbis. Christus hic iussit quæ Cæ-  
 sari essent, dari Cæsari, non considerato eo quod ethni-  
 cus esset Tiberius. Christus quoq; dixit ad Pilatum: Non  
 haberes potestatem super me ullam, nisi tibi datum esset  
 desuper, constat autem Pilatum quoq; gentilem fuisse ex  
 suo p̄ter sermone, quum ait: Nunqd ego Iudæus sum? Hoc  
 quoq; manifeste patet ex eo Petri loco, quem iā supra ci-  
 tauimus, Subiecti estote omni humanę creaturæ & c. dein-  
 ceptis quoq; Serui, subditi estote cum timore dominis ue-  
 stris, nō tm̄ bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Ad hæc  
 Paulus quoq; obedientiā p̄cepit habendam erga magi-  
 stratus, qui tum ferē maxime & Romæ quidem p̄cipue  
 gentiles erant: iussit & orare pro regibus & alijs superio

ribus, sicut mox dicturi sumus. falsum itaque est & obedientiam magistratum negare, & subditos nolle magistratus pati, eo quod mali sint aut etiam infideles, quod contrarium iam ex utriusque testamenti certis locis firmiter est probatum.

4. Diximus ad quid obligati sint subditi, & primo quidem de obedientia: & nunc cetera quoque dispiciamus, ubi primum se offert illud, quod subditi tenentur orare pro magistratibus suis. id ita iam olim Paulus docuit, inquit: **Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.** Idem quod scriba Ieremie docuit Iudaeos ipsi sic scripsit Hierosolymam: **Orate pro vita Nabuchodonozor regis Babylonis, & pro vita Balthasar filii eius, ut sint dies eorum sicut dies caeli super terram, & ut det dominus virtutem nobis, illuminet oculos nostros, ut uiuamus sub umbra Nabuchodonozor regis Babylonis, & sub umbra Balthasar filii eius, & seruiamus eis multis diebus.** Ecce quae ardue in utroque testamento docemur orare pro magistratibus. sic & Ieremias ait, **Quaerite pacem ciuitatis ad quam profecturi estis. quaerere autem pacem fit per orationem, quod etiam nunc ecclesia facit, in Canone orans pro papa, rege, episcopo & omnibus fidelibus. semperque hoc obseruatum est in ecclesia, ut pro gemino statu ecclesiasticorum & secularium fiant orationes, id ita testante Tertulliano in apol. aduersus gentes, cum ait: Illuc (in caelum) suspicientes Christiani extensis manibus, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus omnes semper pro omnibus imperatoribus, uitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum, per orbem quietum, & quaecumque hominis & Caesaris uora sunt. deinceps quoque coimus in coetum & ad congregationem, ut ad deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes. haec uis deo grata est. Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris eorum ac potestatibus, pro statu seculi, pro rebus quiete, pro mora finis. Quod si illud Christiani, pro principibus & Caesaribus fecerunt infidelibus, quanto magis nos Christi-**

1. Timo. 2.

Bar. 1  
Beten vür  
die ober  
keit.

Jeremi. 29

Cap. 39

Cap. 2. 9

ani orare tenemur, p oibus pijs & fidelibus magistratib⁹

- ¶ Tertiū qd subditi superioribus suis exhibere tenent, fides est. siqdem hinc inde in sacris literis fidele cōmēdatur ministeriū, dicēte domino, **Fidelis seruus & prudēs**, quē cōstituit domin⁹ sup familiā suā. Hoc quis dubitet nunc quoq; eē in dominio nostro, ubi subditi fide bona etiā iurisiurandi deincti sunt dominis suis. Iuramēta autē seruāda eē, in uniuersum tota sacra nos docet scriptura. **Ecce enim** Moyses sic inquit: Iste est sermo quem pcepit dominus: Si quis uxorē uorum domino uouerit, aut se cōstrinxerit iuramento, non faciet irritum ybum suum, sed omne quod pmissit implebit. Et alibi: **Anima q iurauerit, & ptulerit labijs suis**, ut uel male quid faceret uel bene, & nō fecerit, & idipm iuramento & sermone firmauerit, oblit⁹q; postea intellexerit delictū suū, agar penitentiā pro pctō &c.
- Hinc & Paulus ait iusurandū inter homines firmamentum esse, & ueluti finem omnis contentionis inter ipsos.**
- quod & inter gentes apud oēs semper nationes maximū habitum est, perfidi quoq; contemptissimi fuere & abiectissimi.** Quando igitur iureiurādo obstricti sunt subditi superioribus suis, fidei fidelitatisq; suae & iuramenti obliuisci non debent, neque se ipsos improbos facere & omni honore destituere, quoniā & deus perfidum odit & graui ter punit. Quis etiā non interueniente iuramento, subditus quisq; fidelis esse debet superiorib⁹ suis, quoniā uir fidelis magnas multasq; laudes meret in scriptura, etiā apud sapientem. uicissim quicunq; subditus perfidus sit in domino suo, proditor habetur domini sui & traditor.
5. ¶ Quarto loco reuerentiā quisq; debet magistratibus suis. ita enim **Petrus, Omnes, inquit, honorate, fraternitatē diligite, deū timete, regē honorificate.** Nemo domino suo resistat temere pertinax, nemo illi subrahatur honorē, sed pro sua quēq; dignitate ueneretur, sicut **Paulus nos iubet p̄positis nostris obedire.** Nemo p̄sumat reluctari magistratib⁹, quia nō sic iā se res habet ut quondā in paradiso. omnia iā nobis subuertit pctūm **Adē, iā enim Paulus iubet reddere debita omnib⁹, cui honorē, honorē, quoniā quisquis magistratū contēnit, deū contemnit.** Sic **Paulus Timotheū suū docet, quid quoq; mō pdicet, inquit**

Matth. 24

Num. 30

Leuit. 5

Hebr. 6

Cic. in off.

Prou. 28

1. Petri. 2

Hebr. 13

Roma. 13



ens: Quicumq; sunt sub iugo fui, dominos suos omni honore dignos arbitrent, ne nomē domini & doctrina blasphemet. Qui autē fideles habēt dños, nō contemnant, quia fratres sunt, sed magis suiāt, quia fideles sunt & dilecti, q̄ beneficij participes sunt. hęc doce & exhortare. si quis aliter docet, supbus est, nihil sciēs. Audi hęc quisquis es cōcionator neochristianoy, & discē s̄mones tuos nō ad cōmodate ad seditiones & inobediētā. ut enim maxime dominus tuus, princeps, aut nobilis frater tuus sit in Christo: tu tamen ideo eū ne despicias, sed honorē cōdignum impende ei. Quisquis aliter docet, etiā superbēs, nihil scit. At nō ne hic ad cōmodatissime penicillo, & uelut uiuis colorib⁹ depinxit Paulus p̄dicatores istos mēdaces, Thomā Munrtzer, Carolo stadū, lohānnē Jacobi in Leyphalm, & id genus alios, qui superioribus annis miseros homines perditē seduxerūt, & iniquissime perdidērunt, ita ut uulgus hominū cis Rhenū, in Sueuia, Frācia oriētali, Thuringia se opponeret aduersus magistratus & cōfederatos: magnāq; hinc suae insolentię sustinuerūt incōmoda in anima, corpore & bonis omnibus. Deus miseris propitius sit animabus. Quod si tā opere doctrinā Pauli suassent opere, quātū iactabundi gl̄iati sunt in sermone, quot superstitēs adhuc eēt uiri boni, uxorib⁹, liberis & bonis oībus saluis?

6. Obsequium etiā, ministerium & sustentationē debet subditis magistratib⁹ suis, iuxta illud Pauli, *Necessitate subditi estote, non solum propter irā, sed etiā propter cōscientiam. ideo enim tributa pręstatis, ministri siquidē dei sunt, in hoc ipsum seruientes. reddite ergo omnib⁹ debita: cui tributum, tributum; cui uestigal, uestigal: cui timorē, timorē.* Ecce quomodo etiā ex apertis scripturę testimonijs tenētur subditi superioribus suis tributa pendere & census, quibus ad usum rei pub. & iustitię defensionē sustentari queāt. Quamobrē & Paulus alibi sic inquit: *Quis militat suis stipendijs unq̄? quis pascit gregē. & de laete gregis nō manducat? sic dominus ipse & pro se ac Petro soluit didrachma, & cęsum dare Casari pręcepit. Que etiā causa est, cur superiores ex graui necessitate subsidia pecuniaria exigere licite possunt a subditis, ut in bel-  
lis & prouinciarum ac ciuitatum defensionibus. Non de-*

r. Tim. 6

Nihil sci-  
unt seditio  
si p̄dicatores.

Zuingliū.

Roma. 13

1. Corin. 9

Mat. 17. 24

Steuas  
impon.

bent tamen huiusmodi quædam de nouo imponere subditis ex auaritia aut luxu, sine graui causa & urgenti necessitate totius prouinciæ, iuxta illud Sapientis consilium:

- Proue. 22.** Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Male faciunt magistratus, si nouis subinde exacti-  
**Jeze. 45.** onibus grauant pauperes. Ita dominus per prophetam inquit, Principibus de terra erit possessio in Israel, & non depulabuntur ultra populum meum. Sufficiat uobis principes Israel, iniquitatem & rapinas intermittere, iudicium autem & iustitiam facite. Ut maxime igitur exactiones requirantur pro dispositione causæ, debet ea tamen bene conueniens esse & consentanea, ne nimium urgeatur miser ille, & pauper populus non deglubatur, magistratibus autem fungentes, in maximis uiuant delicijs: quoniam non secus præceptum est principibus atque alijs hominibus omnibus, ne bona appetant aliena, & multo adhuc minus debent isti sine rationabili causa quicquam ex paupere exposcere, siquidem contra id loquitur Sapiens quoque, quum ait: Non facias uiolentiam pauperi, quia pauper est, neque corraenum in porta, quia iudicabit dominus causam eius, & configet eos qui confixerunt animam eius. **Veque** quidem hoc est, exhaurire fiscum & thesaurum suum omnem non debet princeps: quoniam si id rescirent aduersarij eius, plus urgerent eum & subditos illius. unde quod aliud metuendum esset in ipsius prouincia, nisi maxima bella? Sed in summa ad necessitatem & tutelam regionis, ad iustitiæ defensionem, possunt principes exactiones instituire & imponere subditis suis. quod si autem hoc faciant ex auaritia aut alio studio inutiliter absumendi, tunc sane sunt ex numero damnatorum, nisi penitentiam agant. Adhuc solent hic doctores ostendere casus, ubi principes queant ex subditis suis pecunias exigere ultra communes census, puta cum sibi timet ab imperu subito & insperato alicuius hostis, tunc sane cogitur se quoque instruere & arma parare. Et si ad bellum proficiscendum sit ex iussu Cæsaris aduersus infideles hæreticos, & obedire nolentes imperio: si etiam capto sibi, pecunijs opus sit pro redemptione: si pontes restituendi, uia sternenda, aut alia prouinciæ munimenta sint restauranda, neque ad hæc uectigal sufficiat: aut si

Quib. casibus imponit exactiones sup.

ea sit paupertate princeps, ut soluendo non sit cum com-  
modo provinciae: si filium aut filiam legitimo thoro co-  
pulet & astringat: si regionem aliquam novam uel coe-  
mit sibi, uel aliunde acquirit. Omnibus enim illis poten-  
tior ipse efficitur, suosque magis defendere potest subdi-  
tos. Quodque in uniuersum nos diximus, de singulis eti-  
am personis intelligi debet. ut si subditus agrum habeat  
aut hortum eo loco, qua uallum & alia quaedam munime-  
ra sint collocanda ad regionis defensionem, potest il-  
lum eripere magistratus, ita tamen, ut ei satisfiat. Sin  
autem superiores ui & uolentia eripiant subditis sua bo-  
na, qua nolint uendere, non utilitatis publicae, sed pri-  
uatae uoluptatis causa, ut maxime soluant eis, nihilo-  
minus peccant. Caueant igitur sibi principes, ne subdi-  
tis ui eripiant sua, uel pecunijs, uel sine solutione. nam  
tunc tyranni sunt, & quiduis potius quam boni prin-  
cipes. Ecce enim Regum nos docet historia, quomodo Achab <sup>3. Reg. 18</sup>  
petierit ex Naboth uineam suam, ut faceret sibi hortum  
uoluptatis, quodque horto suo coniunctus esset proxime  
& aedibus: atque in hoc promisit se illi uineam daturum  
meliolem, uel etiam pecuniam, solutionis precium: nolu-  
it autem uendere Naboth hereditatem patris sui. Et tunc  
subiit regina Iezabel uiros Belial, quorum falso testi-  
monio factum est ut occideretur Naboth, & Achab occu-  
paret uineam. dixitque dominus ad eum per Eliam prophe-  
tam: Occidisti in super & possedisti, haec dicit dominus. In  
loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lam-  
bent quoque sanguinem tuum. O si in hunc quoque di-  
em ita puniret dominus, non ita uiolenter opprimeren-  
tur miseri a plerisque officialibus principum, a quibus prin-  
cipes persuasi, saepe cum iniuria & ui despoliant subdi-  
tos, & eorum officialibus & secretarijs praebent. Et sicut de  
uestigalibus & alijs dictum est supra, ita de legibus eri-  
am, edictis atque interdictis principum sentire conuenit.  
quicquid enim prudenter & animo bono constituunt, rei  
publicae & pacis gratia, atque ad bonos defendendos & pu-  
niendos transgressores, id sane praeterquam quod bonum,  
aequum & iustum, etiam magni meriti est. Multum mere-  
ri potest apud deum, qui in magistratu positus est, dum

**Meritum  
principis.**

**Isaie. 10**

amore iustitiæ & pacis, malum quod odit punit: plus in-  
quã merebitur, q̃ si Carthusianus efficiatur. **Contra**, ubi-  
cunq; leges, sancita, decreta & interdita priuatæ tantum  
utilitatis causa suscipiuntur aduersus rem publicam, neq;  
iustitiæ nec tranquillitatis amore, sed cupiditate tantum  
affligendi illos qui sic transgressi sunt & bona eorum diri-  
piendi, quid hoc aliud est q̃ ædificare gehennam? **Audi** in  
hoc dominum per prophetam tibi dicentem, **Væ** qui con-  
dunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt,  
ut opprimerent in iudicio pauperes, & uim facerent cau-  
sæ humilium populi mei, ut essent uiduæ præda eorum,  
& pupillos diriperent. **Quid** facietis in die uisitationis, &  
calamitatis de longe uenientis? **Ad** cuius confugietis auxi-  
lium? & ubi derelinquetis gloriam uestram, ne incuruemini  
sub uinculo, & cum interfectis cadatis.

**Matth. 22  
Roma. 13**

7. **Ex** superioribus iam sequitur, q̃ quando magistra-  
tus possunt tributa, census, uectigalia, & exactiones alias  
imponere subditis suis, qui & iure tenentur soluere, qui-  
cunq; infideliter circumuentunt dominos suos, in illis om-  
nibus grauer peccant, atq; coram deo tenentur ad res-  
titutionem, modo domini faciunt illa propter quæ acci-  
piunt huiusmodi redditus: quia si magna exigant uectiga-  
lia superiores, de quibus nec pontes restituat nec uias, nõ  
tenentur subditi dare in conscientia: tunc autem, si iustis  
de causis exigantur: tuncq; si non dent, peccant, **Christo**  
& **Paulo** testantibus. **Quæ** etiam causa est, quor superiores  
grauius puniunt eos, qui in huiusmodi uectigalibus  
& alijs delinquant: quoniam si furem recte suspendunt, la-  
tronem capite truncant, bona ratione possunt etiam pu-  
niri huiusmodi hominem nequam, qui pecuniam quã rei  
publicæ impendere debebat, subtrahit illi. In summa, ue-  
ctigalia & huiusmodi quædam ex consuetudine locorum  
& mercium iuste & integre contribuere, æquissimum est,  
sin autem exactiones uarias exposulet, q̃ tamen nec uias  
restituunt neq; pontes, & sæpe interim ubi homines in met-  
cibus & iumentis detrimenta patiuntur, etiam non soluens  
non peccat. **Sed** hæc sufficiant, quoniam multa de ijs dici  
possent. (ca. quenquã de cens. lib. 6. & ca. si quis R homipe-  
tas, 24. q. 3. **Antoninus** par. 2. 14. 10. **Angelus** & alij) **Gra-**

ue quidē hoc ē magistratib⁹, media semp illa & regia via  
 incedere. Quā autē q̄ officijs istiusmodi p̄sunt, in exactiōnē  
 p̄trahere conant ex odio, inuidia, aut aliūde q̄ eō nō per-  
 tinēt, aut ex amore & fauore inæqualiter illas instituūt,  
 dici multa possent: sed tñ cōstat eos teneri ad restitutiōnē  
 dāni partis offensæ. Similiter q̄ uectigalia & cōductus sal-  
 uī p̄cia suscipiūt, eorū interest uias oēs nō tm̄ integras, sed  
 & cōseruare securas atq; pacatas: & ubicūq; subditi uel ex  
 latronibus & p̄donibus uel ruinis pontiū dāna sustinent,  
 tenent sup̄tores restituere illis: atq; quāuis uectigal nō te-  
 neant reddere, tñ dānū illatū p̄sare, ceteris paribus, secun-  
 dū doctores in dicto capitulo, **Si q̄s Rhomipetas.** Quō autē  
 male faciāt magistrat⁹, p̄sonas priuilegiatas (ut ecclesiasti-  
 cas) p̄trahēdo ad exactiōes aduersus diuinas leges, sanctio-  
 nes imperatorū & p̄rificū canōes, mitto: simulq; iā uolēs  
 pertrāseō, q̄ grauēt nōnulli principes, etiā aliqua ciuita-  
 tes subditos aliō a se cōmigrātes, exactiōib⁹, quas ex postu-  
 lāt ab eis, q̄ ampli⁹ in eorū nō sunt p̄tate. Male fit etiā, quū  
 magistratus iudices cōstituūt & officiales alios imperitos  
 atq; imprudētes, aut nō satis bonos, a quibus subditi sape  
 grauantur, multi aduersus iustū & æquū offenduntur. ibi  
 quo pacto superiores teneantur ad restitutiōnem, etiam  
 uolens pertrāseō, similiter quā inique multi miseros  
 grauent in sigillis & huiusmodi quibusdam alijs.

8. ¶ Multa hacten⁹ de subditis in uniuersum dicta sunt. **Sigilla.**  
 nunc porro de seruis nonnulla dicemus, cuiusmodi quon-  
 dam in tota ferē suere Germania, & nunc in multis locis  
 in dies magis ac magis desinunt esse: qm̄ euangelici isti se-  
 ductores, qd̄ dico: p̄dicatores dicere uolebā, hoc quoq; per-  
 suadere uoluerunt uulgo, ut ad inobedientiam adduce-  
 rent, aduersus sacras literas, iura diuina, leges scriptas &  
 ueram iustitiā æquitatem.

¶ Principio quāuis natura æquales oēs sumus, nemoq; **Seruitus.**  
 seruus, tamē p̄tō fuitus est introducta. Ita Gregorius ait, **Gregori⁹.**  
 Liqueat q̄ oēs hoīes natura æquales genuit, sed uariante  
 meritoꝝ ordine, alios alijs culpa p̄æponit: ipsa quidē di-  
 uersitas quæ accessit ex uitio, diuino iudicio dispensatur:  
 & quia omnis homo æque stare non ualet, alter ab altero  
 regatur. Hinc est quōd seruitutem contra naturam Im-  
 de imper.

- de iu. per. perator quocq; esse testat. Sed q̄a uaria seruitus est, de ea t̄tum hic dicere est animus, quæ adhuc inter Christianos est, & uix fuitus aliq̄ dici meref. Esse aut̄ uerba illa Grego-  
 rii uera, en scripturâ tibi, quâdo eâ adeo desideras. Eui-  
 lās Noe ex uino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus  
 Gene. 9 minor, ait: Maledictus puer Chanaan, seruus seruoꝝ erit  
 fratribus suis. Ecce statim à diluuiō orta est fuitus, idēq;  
 ip̄m præuidit in sp̄u sanctus ille patriarcha Noe. Ideoq; &  
 Ambrosius in quodâ sermone, Manebat, inquit, ante q̄ in  
 36. di. sex- uentres uinum omnibus incōcussa liberras, nemo sciebat  
 to die. Gene. 4 à cōsorte naturæ suæ obsega fuitutis exigere. Neq; esset  
 hodie seruitus, si nō fuisset ebrietas. obrepserat q̄dem fra-  
 ternæ prælationis inuidia, manebat tm̄ adhuc paternæ pi-  
 etatis reuerentia. læsa pietas est, dū irridef ebrietas. Augu-  
 Lib. 20 de stinus h̄q; dicit, Cōditio fuitutis iure intelligit̄ imposta  
 ciui. dei. p̄t̄ ori, nā si seruitutis in gramus originem, primū illa cœ-  
 pit in bellis, & sic ex iniquitate, unde primū orta sunt bella,  
 in q̄bus seruos quos poterāt occidere, capros uel uendide-  
 runt uel seruârunt, unde nomē istud sortiti sunt. nā à ser-  
 uâdo serui dicti sunt. Statim itaq; inualescētib⁹ bellis, mul-  
 ti facti sunt serui. prius enim q̄s f̄uiebat, q̄ occidi se sine-  
 ret. Tā inualuit aut̄ hoc seruire malū, ut & Abraâ huiusmo-  
 di habuerit suos, teste Moysē cū ait: Circūcisus ē Abraâ &  
 Gene. 17 oēs uiri domus illius, tā uernaculi q̄ emptiti, eos aut̄ non  
 habuisset Abraâ, si illicitū fuisset, quâta erat ille p̄fectiōe,  
 quâq; bene placebat deo, qui illi etiâ mercedem se magnâ  
 Gen. 15. 17 nimis fore sponndit, dixitq; ad eum, Ego deus omni-  
 tens, procede corâ me & esto perfectus.  
 ¶ Quid q̄ in tot legibus, quæ ludæis datæ sunt prope  
 sexcentæ tredecim, seruus usq; adeo nullibi prohibetur,  
 ut cōfirmetur magis. dominus enim per Moysen sic ait,  
 Qui percusserit seruum uel ancillâ uirga, & mortui fue-  
 rint in manib⁹ eius, criminis reus erit: sin aut̄ uno die uel  
 Exodi 21 duobus superuixerint, nō subiacebit pœnæ, quia pecunia  
 illius est. Ecce quâm ualide hic dominus seruitutem con-  
 firmat, adeo ut seruus peculiū sit domini sui, hoc est, quia  
 proprius illi, unde nec puniatur, etiam si occiderit eum.  
 Multa ibidem habentur quæ uolens prætereo, quoniam  
 in ueteri testamento testimonia seruitutis extant in nu-  
 mero.

mera, ut cū praece p̄t dñs quēuis etiā emptitū seruum suū  
circuncidi: sic & disp̄ator ipsius Ioseph dixit, Apud quē-  
cūq; inueniet scyphus, ipse sit seruus meus. Verū quidem  
hoc est, q̄ anno Iubileo oēs serui emptitij Iudaei liberari  
poterant, aut semper manere serui, q̄ eo ordinauit & in-  
stituit dñs, qm̄ seruitus illa adeo dura fuit penes Iudaeos,  
ut q̄ nūc nobiscū serui sunt, liberi esse poterāt int̄ Iudaeos.  
emptitij, n. erāt eorū serui, sicut nūc q̄q; sunt Turcae. Atq;  
ideo dominus inter cetera hanc etiā rationem ponit ex  
cidij Hierosolymitani, q̄ seruos Iudaeos semel libertate  
donatos, rursus seruitutis iugo adstrinxerāt, idipsum in  
lege quoq; cautum est, quum ait Moyses: Si paupertate cō-  
pulsus uendiderit se tibi frater tuus, nō eum opprimes ser-  
uitute famulorum, sed quasi mercenarius & colonus erit.  
Ibidem docetur, quomodo seruos emere debent à circun-  
iacentibus populis, qui eis honeste seruiant semper.

9. ¶ Dices, factum id quidem ita est, sed tamen in uete-  
ri testamento, ubi lex erat seruitutis: nunc autem in lege  
gratiae, ubi spūs domini est & libertas, qua nos Christus  
liberauit, aliter omnia sunt comparata, ita ut Paulus q̄q;  
praecepiat nos precioso Christi redemptos sanguine, effi-  
ci non debere seruos hominum. Et hae ceterae sunt, quae pre-  
dicatores carnis uulgo proposuerunt, illumq; ad seditionem  
conciarūt, sed subuertisse eos in hoc uerum scriptu-  
rae sensum, facile cōuincemus. siquidē simul cū libertate  
Christiana, quae in spū est, facile stare pōt seruitus ista cor-  
poralis, testante Paulo eodē in loco, quae pueri isti aduer-  
sarij nostri nobis obrudunt. Seruus uocatus es: non sit ti-  
bi curae, sed & si potes fieri liber, magis utere, qui. n. in do-  
mino uocatus est seruus, libertus est dñi. ecce Paul⁹ quoq;  
uult in sua quēq; uocatiōe manere & seruū & liberum.  
Quid ergo obgānis tu seruitutē Christianae libertati ad-  
uersari? id quidē tibi Paulus p̄mittit, ut si queas fieri liber,  
magis utaris, sed interim seditiones nō suadet, nec sangui-  
nis profusiōes, sicut isti turpiter miserā seduxere plebeculā.  
¶ Adhuc mihi Paulū audi in alio loco dicētē. Serui, obe-  
dite dñis carnalib⁹ cū timore & tremore, i simplicitate cor-  
dis uři sicut Ch̄so, nō ad oculū s̄uientes, q̄ si hoībus placē-  
tes, sed ut serui Christi, facientes uoluntatē dei ex animo.

Exodi. 120  
Gene. 44.  
Deut. 15  
Exodi. 210

Jeremi. 34

Leuit. 250

2. Corin. 3  
Galat. 4  
1. Corin. 7

1. Corin. 7

Ephē. 6

Eph. 6

cum bona uoluntate seruientes sicut domino, & nō hominibus, scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonū, hoc recipiet à domino, siue seruus, siue liber. (quales erant tunc gentium, modo **Turcarum**.) Ecce quā aperte præcipit **Paulus** seruos dominorum manere in obedientia, ut nihil iam obster quin clare intelligatis sententiam & animum **Pauli**, uolentis non erigere se seruos aduersus dominos suos ad rebellionem, sicut prædicatores isti animicidæ turpiter seduxerunt homines. **Quæris** autem, **Nimis mihi duri & molesti sunt domini mei**, neque id faciūt quod proxime in **Paulo** sequitur, **Et uos domini eadem facite illis**, remittentes minas, scientes quōd & illorum & uester dominus est in cælis, & personarum acceptio non est apud eum. **Respondeo**, & ultro sane hoc tibi amice credo, sæpe nimium præsumere magistratus de potestate sua, eosque præcipue qui ex luto sordium euehuntur in magistratum. **Quid** autem, si inique queratur de magistratu subditus, grauamen reputans quod nullum est, sicut non raro usu uenit? **Quicquid** sit illud, ecce ex pectore catholico id omne tibi aperiam .i. **Nō** is seruitutem illam nostram multo & inferiorem esse & tolerabiliorem ista, quæ temporibus **Pauli** inter ethnicos fuit, quando domini crudelissimi erant, licere sibi in seruos quicquid liberet existimantes, quando seruus non poterat excedere seruitute, nisi manumissus. **Et** tamen quantum id est, quod **Paulus** istiusmodi etiam durissimis dominis præcipit esse parendum? quare non magis nostrates serui dominos suos **Christianos** tolerabunt, quā poterunt patientissime? **Quære** autem tu aliquem qui inter **Turcas** uixerit, quō illi seruos suos tractent, & dices seruitutem nostram uitā esse liberrimam. **Quid** quod serui **Christianorum** tanta gaudent libertate, ut & discere & operari possint quod uelint, pergunt quō uolūt, negociantur ut uolūt, illi uel alteri artificio se dedunt, lucrū omne quod habēt, eis cedit. **Emūt** & uendunt bona, reddunt, census, fūdus, ut uolūt. **Dāt** axat dū uolūt cōtrahere, dñi petūt ut eorum re gratia cōsentiat: & in morte cuiusque sua petūt iura scām cōsuetudinē patrie, i uita uero gallinā singulis annis in bacchanalibus, & quādam alia parua, quæ trā uariant apud plures, sic tñ, quod nō ē umbra ad seruitutē illā



ethnicā. Esto autē ut sis etiam hoc graue tibi esse seruum, 1. Petri 2  
audi tu Petrum, qui postquā obedientiam docuit, statim  
subiunxit: Sic est uoluntas dei, ut beneficientes obmute-  
scere faciat imprudentium hominum ignorantia, qua-  
si liberi & non quasi uelamen habentes malitię libertatē,  
sed sicut serui dei. & deinceps, Serui, subditi estote in omni  
timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiā  
dyscolis. Hęc est enim gratia, si propter dei cōscientiam  
sustinet quis tristitias, pariens iniuste. Quę est enim gra-  
tia, si peccātes & colaphizati suffertis? Sed si bene facietes  
patienter sustineris, hęc est gratia apud deū, in hoc enim  
uocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, uobis relin-  
quens exemplum, ut sequamini uestigia eius. &c.

¶ Non debebant ergo isti prędicatores carnis ob tem-  
poralia grauamina ex superioribus, pueniētia, statim sub-  
ditos ad seditionē incitare: sed docere magis, quomō uita  
Christiana & pia in tribulationibus, angustijs & necessita-  
tibus exerceatur, adeo ut & Paulus gloriē de tribulatiōe  
sua, & tota undiq; abundet scriptura, quō patiētes nos eē  
deceat in aduersitatibus, eo quod in patientia nostra possu-  
ri simus animas nostras. Meminerit subditus, ut maxime  
tractet durius, male id quidē fieri, & magistratus in hoc  
grauiter peccare: sed tamē cogitet interim scelerati⁹ esse,  
bella mouere & seditionibus totas uastare regiones. Vul-  
garum est hoc, Ne sit medicina nocentior morbo. Quis  
enim ferat paruo & exiguo morbo medicum ualidissi-  
ma adhibere uolentem & fortissima pharmaca? Ita in pro-  
posito, quod grauaris a magistratibus, iniquū ē, sed ex illoꝝ,  
nō tua parte. quod autē exiguū istud malū, malorū omniū ler-  
na cōpescere uelles & mitigare seditiōibus, nō sine tuo quod  
est magno malo, quod obsecro te agitet furia? Capiētes Chri-  
stū Iudæi, peccabāt quidē in hoc, sed tamē ille permittere  
nolebat Petrum gladio etiam pro se pugnare. & tu qua-  
re exeris gladium propter exiguū aliquod & tempora-  
le grauamē, cū nō sit tibi ius gladii cōtraditū? Miseri isti qui  
in p̄xima seditiōe concitati sunt, pręterquā quod eorū mul-  
ta millia occisa sunt, plus etiā grauaminis sustinuerunt  
insuper tēpore seditionis, quā decennium totū passi sint a le-  
gitimis suis magistratibus, si duplū dixerō, nō errabo. Cō

**Johan. 8.** cludamus ergo, **Qu**ādoquidem **Christiana** libertas intra nos est in spū & anima, ita ut nō sit homo seruus peccati, quare non aduersatur seruituti. (est impertinens) aliās em̄ & **Paulus** seruum **Onesimum** non rursus misisset ad **Philemonem**, a quo aufugerat. **Seduxerunt** igitur **prædicatores** isti carnis inimicidæ miseram plebem, dum non docuerunt libertatem illam in anima hominis, non externis rebus corpore & bonis consistere temporalibus.

10. ¶ Et si superiora sacre scripturæ testimonia satis facere cuiq; possunt homini pio, ipsumq; ad obedientiam magistratum commouere; tamen illud deo cum primis exosum flagitium est, **seditiones** moliri aduersus magistratus, semperq; eiusmodi factionum autores puniti graui-

**Matth. 26**  
**Seditiosi.** stam sententiam **Christi**: Qui gladio pugnat, gladio peribit. Quando igitur propria temeritate turmatim confluunt subditi, sine ordinata & legitima commissiōe, inique faciunt, eo q̄ eorum non est uti gladio. Incidit itaq; sententiam **Christi**, & suopre se gladio iugulant. Ita **seditione** isti contigit **Absaloni** **David** filio, qui una cum populo toto erexit se aduersus patrem, quæris qualis fuerit huius tragædiæ euentus? **Ecce** populus eius totus occisus est; ipse capillis suis, quos habebat pulcherrimos, se suspendit in quercum, ibiq; **Ioab** tribus eum confodit lanceis.

**Sup. par.**  
**1. de bello.**  
**2. Reg. 1. 18.** Huiusmodi exitum habuit & **Seba** filius **Bochri**, is **seditione** mora effecit, ut totus populus **Israel** recederet a rege **David** & adhereret **Seba**. **Misso** autem omni exercitu suo **David** obsedit eum in **Abela**. **Cumq;** intellexissent ciues **Ioab** decessurum obsidione, si mō **Seba** haberet, occiderunt eum, & caput miserunt ipsi **Ioab**. factaq; est pax & tranquillitas in populo. Ita nostris adhuc seculis bene faciunt magistratus & principes, dum autores primarios seditionum & uexilliferos, condignis adficiunt suppliciis, ceteros autem uenia dignantur, quod & **Ioab** hic fecisse legitur. At que in hunc modum finem cōdignumq; sortita est **seditio** **Theodæ** & **Judæ Galilæi**, qui cum suis omnibus occisi sunt. Et quid aliud est quod refert **Iosephus**, **Judæos** toties se congregasse aduersus **Romanos**, semperq; trucidatos misere tantisper, dum tandem magna & potentissi-

**2. Reg. 20.** Huiusmodi exitum habuit & **Seba** filius **Bochri**, is **seditione** mora effecit, ut totus populus **Israel** recederet a rege **David** & adhereret **Seba**. **Misso** autem omni exercitu suo **David** obsedit eum in **Abela**. **Cumq;** intellexissent ciues **Ioab** decessurum obsidione, si mō **Seba** haberet, occiderunt eum, & caput miserunt ipsi **Ioab**. factaq; est pax & tranquillitas in populo. Ita nostris adhuc seculis bene faciunt magistratus & principes, dum autores primarios seditionum & uexilliferos, condignis adficiunt suppliciis, ceteros autem uenia dignantur, quod & **Ioab** hic fecisse legitur. At que in hunc modum finem cōdignumq; sortita est **seditio** **Theodæ** & **Judæ Galilæi**, qui cum suis omnibus occisi sunt. Et quid aliud est quod refert **Iosephus**, **Judæos** toties se congregasse aduersus **Romanos**, semperq; trucidatos misere tantisper, dum tandem magna & potentissi-

**Actus. 5.**  
**Ioseph.**

ma urbs Ierusalem deuastaretur, ipsiq; Iudæi diuenditi in uniuersum spargerentur orbem terrarum? Nunquam cuiquam feliciter successerunt seditiones, etiam inter eth- **Salust.**  
nicos. Ecce enim Carilina homo perditus, adiunxit sibi aliquot sui similes adolescentes, coniurârunt simul aduer-  
sus senatum. ipse uero fractis conatibus suis; deperijt, ut **Nume. 16**  
merebatur. Chore, Dathan & Abiron seditionem molie-  
bantur, conantes sibi attrahere plebem, sed absorpti sunt a terra. Nemo igitur eò stultitiæ adduci se sinat, ut quic-  
quam teneat factiosum aduersus magistratus, nemo malū **Roma. 12**  
pro malo reddat, non tantum coram deo, sed & coram o-  
mnibus hominibus, pacem habendo cum omnibus, maxi-  
me uero magistratibus, quos deus nobis dedit, quibus qf-  
quis resistit, diuinæ resistit ordinationi. Quilibet autem **Roma. 13**  
pro magistratibus suis diligenter deprecetur dominum,  
iuxta doctrinā Pauli, ut illis dñs gratiā donet feliciter ad-  
ministrandi omnia, pacē & iustitiā tutandi, malumq; pro-  
merito puniēdi, q̄tenus sic nos oēs, magistrat⁹ & subditi a  
dño deo gaudia suscipere mereamur æterna. Amen.

**DOMINICA XXV.**

**A FESTO PENTECOSTES,**

euangelium **Matth. IX.**



**I**n illo tēpore loquen-  
te Iesu ad populum,  
ecce princeps unus ac-  
cessit, & adorabat eum, **Marci. 5**  
dicēs: Domine, filia mea **Luce. 8**  
defuncta est, sed ueni, im-  
pone manum tuam su-  
per eam, & uiuet. Et sur-  
gēs Iesus, seq̄batur eū &  
discipuli ei⁹. Et ecce mu-  
lier quæ sanguinis fluxū **Marci 5**  
habet, **Luce. 8**

ZZ iij